

**Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensis, ex  
Harveii instituto / habita a Joanne Latham.**

**Contributors**

Latham, John, 1761-1843.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Londini : T.N. Longman, [1794]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pbqfgffq>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

2  
ORATIO ANNIVERSARIA

IN THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

EX HARVEII INSTITUTO,


HABITA

A JOANNE LATHAM, M.D. SOCIO;

DIE OCTOBRIS DECIMO OCTAVO,

FESTO SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ,

A.D. M.DCC.XC.IV.



C L O N D I N I

Apud T. N. LONGMAN.

ДАЯННЯЯ АНИВЕРСАРИЯ ОИТАЮ

ОИТАЕНТ ИН

COLLEGE LIBRARIES MUSEUMS

Digitized by

Digitized by the Internet Archive  
in 2015

<https://archive.org/details/b22371394>

COLLEGIO REGALI MEDICORUM

LONDINENSI,

PRÆSIDI SOCIIS ET PERMISSIS,

*HANC ORATIUNCULAM*

D. D. D.

*J. Latham.*

COLLEGIQ REGI MEDICORUM

LONDINENSIS

THESEI SOCII ET PERMISSIS

ACADEMIAE OXFORDIANAE

PLATEA

ANNO 1712.



*Oratio Anniversaria, &c.*

---

SAPIENTER et consultè, Præses  
insignissime, Vosque Socii Fratresque  
dignissimi, Solennia sunt instituta, ne  
virtus sit spissà caligine obducta,  
vel humanos oblivio penitus labores  
obruat. Hoc mihi, nequaquam in-  
gratum, in Ordine demandatum est  
officium; at, quanquam fortasse hu-  
juscemodi Exercitationis me posthac  
aliquantillum pudeat, cui nec facilis  
dicendi sit facultas, nec flumen Ora-  
tionis exundans, Res tamen Majorum  
gestas commemorâsse, et quasi in me-  
diū

dium protulisse imitandas, minimè  
me pigebit. Absit igitur in talibus  
ausis excusatio levis et fucata, absit  
mihi veniam petere suppliciter, quippe  
qui studeo pro viribus, qualescunque  
sint, Academias nostras honoribus am-  
plificare, qui vobiscum hafce Ædes  
et amo et veneror, et qui, a primâ  
etiam in hanccine Societatem Coop-  
tatione, virorum optimorum et maxi-  
me eruditorum consuetudinem be-  
nignam et benevolentiam fautricem  
me habuisse gloriar.

Dum laudes Literarum et Medi-  
cinæ hodiè celebramus, quisnam adeſt,  
qui non in ipſo limine sacratō tanta et  
tot nobis beneficia exindè collata gra-  
to animo contempletur? Fundator  
enim

enim ipse noster cultorem tam Medicinæ, quam omnium aliarum Literarum humaniorum se maximum semper præbuit: benigno Numine et fausto Artes Apollineas feliciter instauravit, et undique collectis seu Græcis sive Romanis Radiis hasce suas Ædes illuminandas curavit: Ipse doctissimus haud difficilem esse viam voluit, sed omnibus apertam et patefactam: Helluo adhuc Doctrinæ, et in mediis, instar Dipsadis, undis sitiens, nil prius meliusve facturus sibi videbatur, quam si in Posteros se talem traderet, qualis ab incepto procefserit: Hoccine igitur Collegium posuit, æquas fancivit leges, atque omnia alia quæ ad gubernationem sive tutamen necessaria essent, statuit: Primus ipse

Societati

Societati suæ præfuit, dignos honestosque Medicos confociatos habuit, hoc doctorum versatorumque Virorum Collegium in perpetuum permanere et voluit et effecit, et tandem mortem obiens omnibus sese exhibuit Exemplar suspiciendum, admirandum, imitandum:

Se nobis dedit, amicum, patronum,  
patrem;

Bona sua hæc nobis commisit, et  
nostræ mandavit fidei :

Hæc nostram in manum dedit :

Accepimus—accepta servabimus.

Secula jam tria propemodum effluxerunt, annis supervenientibus annis, viros secum continuatâ serie abri-

pientia

pientia vix aut ne vix quidem ipsi  
 Linacro secundos vel impares ; Caios,  
 Caldwallos, Gulstonos, Harveios, Ha-  
 meos, Gliffonos, Sydenhamos, Frein-  
 dios, Meadios : — Quid memorem  
 plures, quando, si cuiquam nostros  
 Annales evolvere placeat, longo or-  
 dine se invicem sequentia nomina me-  
 dicorum inclytissima aspiciantur ? —  
 Quid memorem plures, quando ejus-  
 modi viros hæccine ornatissima Corona  
 nunc ja<sup>c</sup>tat, alios etiam clarissimos mox  
 ja<sup>c</sup>tatura ? Hisce enim sedibus Lina-  
 crinis nunquam adhuc optima sua  
 impertire Dona erubuit Sapientia, huic  
 equidem Communitati nunquam ad-  
 hac defuerunt Ingenii et Artium cul-  
 tores, aut Naturæ Observatores exqui-  
 sitissimi. — At si de humano genere

benè meriti sint Antecessores nostri,  
 quid defit nostro seculo, quo minus  
 simili etiam munere fungamur? Si  
 Hippocratici Galenicive Ævi tales sese  
 præbuerint Æmulos, quales nosmet-  
 ipsos esse oportet, quos longa Ma-  
 jorum docet Experientia, et Observa-  
 tio propria confirmat? Non autem  
 Eruditionis fastidium, non Scientiæ  
 adfectatio, non Superbiæ inanitas Ho-  
 minibus vel Virtutem, vel Sapientiam,  
 vel Honorem reverà largitur—labor  
 utilis, patientia studiosa, diligentia  
 accurata, Praxis repetita, Mens capax,  
 Mores mansueti, hæc equidem ho-  
 nestant Medicum, et hodiernos ip-  
 forum Antecessoribus reddere possunt  
 æquales. Parum enim refert at-  
 tigisse labris tua flumina, O! Ifis,

Deliciæ

Deliciæ Nostræ! ubi stat turribus  
 altis Præsidium Juventutis et dulce  
 Decus sublimi vertice tangens Æthera;  
 siue amænas invisiſſe tuas, O! Grante,  
 Ripas vago metitas gressu, niſi pleno  
 Hauſtu deprompſerimus, niſi certa  
 impegerimus vestigia: Ex his autem  
 ſedibus erumpens Fons Doctrinæ jugis  
 hanc equidem Societatem confueto in-  
 fluxit Cursu; et ex hoc fonte deriva-  
 tam, aggeribus septam circum et  
 pollentibus Undis, potestne subvertere  
 Invidia, aut vaſtare malignitas? Haud-  
 quaquam—amnis nunquam defluet,  
 ſed rivo lucido et profundo labitur,  
 in omne Ævum lapsurus.

Si autem ità noſtræ ſe Res habeant,  
 ſi origine gaudeamus, ſi auxilio et tuta-  
 mine valeamus, ne obliviſcamur talem

nobis conditionem fide et diligentia  
tuendam esse: Inter nosmet-ipsos nul-  
lis rupta querelis sit Pax altrix op-  
tima Scientiae; hisce Ædibus Doc-  
trinæ et Apollini sacratis absit dis-  
fidium, Imperium in Imperio, malis  
divulsum querimoniis Fœdus; Mens  
omnibus sit una, amicitia stabilis, so-  
dalitum sincerum: et si de digni-  
tate, præfecturâ, vel quâcunque aliâ  
causâ forsitan agatur, certamen sit ho-  
nestum, decorum, urbanum; dede-  
corant enim Jurgia Ingenuos, et Ci-  
vitas Rixis vexata sub pondere iniquo  
mox titubat, et tandem mole ruit suâ.

Vereor equidem ne tali concordi  
auxilio citius opus sit, quam for-  
sitan existimetur: Incendimus etiam  
nunc per ignes suppositos Cineri  
doloſo—

doloſo—Invadit enim inimica Cohors, et agmine factō irruens minatur: non amplius latet Hostis, et occultè adverſatur, ſed acriter et confertim in aperto aggreditur ferox, audax, pertinax; poſthabitâ fide de obſervandis Statutis, et de omnibus in Arte Medicâ pro Viribus in honorem Collegii faciendis:—Nulla autem fit inter nos tumultuantis Hostis formido; Minas enim grandiloquas Mens diſſipat firma, et in furorem uſque præcipitem ideoque confilii expertem vim cito vincit, quantumvis minacem, Concordia.

Verum enimvero tametsi mihi eſſet occaſio querendi prolixius de factâ nobis temerè injuriâ, vetat amplius differere liberalitas; de criminacionibus

bus autem allatis tacere omnino vetat  
 Justitia: si conscientia Mens Recti famæ  
 rideat Mendacia, honestæ indignationis  
 quiddam non potest non sentire, dum  
 incertâ Opinione lacefitur. Nobis  
 prorsus ignotus est iniquus iste mos  
 huic concedendi quod illi denegamus:  
 Lex omnibus est eadem, Tros Tyriusve  
 nullo discrimine habetur: In Arenam  
 omnibus descenditur, sed non omnes  
 fors manet una; huic enim aridens,  
 illi minus sit benigna Minerva. De  
 jure, non arbitrio, trutinamur; nam  
 libra justa et æqualis singulis suspen-  
 ditur: Quosdam minus fortasse doc-  
 tos, indoctos nunquam, civitate do-  
 navimus: et si postea longa dies de  
 memoriâ quibusdam aliquid detri-  
 verit, vel si paucas hic et illic juven-

tuti maculas incuria fuderit, non cri-  
mini nobis objiciatur, quoniam qualis  
fit Medicorum Natura, talis tota est  
humana.

Satis meherculè de Æquitate nostrâ  
jamjam dictum fuisset, ni invidus qui-  
dam Zoilus exprobrandi occasionem  
quotidiè arripuisset nos in Sodalitium  
nostrum quosdam cöoptatos iniquè  
accepisse: At dignos equidem ele-  
gimus, alios etiam dignissimos fortassè  
electuri: Non autem Homines Senio  
et Imbecillitate confectos, non aliarum  
studio literarum solummodo exerci-  
tatos, non morosos et iracundos, sed  
vigore Animi pollentes, Medicinæ et  
Artium illi servientium doctos cul-  
tores, ingenuos et placidos—optimos  
denique

deniquè cooptari volumus, maximè  
solliciti ne iterum illis, aliter faciendo,  
ansam redarguendi indè deductam  
præbeamus. A pagè igitur tales hascine  
querelas invidas et inanes :—namque  
apud nos reverà est, sicut in aliis  
civitatibus, ubi *πολιτεία* quidem optimè  
constituta est, quæ ex diversis ordinib-  
us constat ; et ubi non potest aliquis  
ex alio in alium ordinem, sponte suâ  
et quasi per saltum transfire, nisi jure  
et consensu permittitur : ideoque certè  
non mirandum est nos confuetudines  
et privilegia nostra diligenter custo-  
dire, quando videamus simili ratione  
Institutiones omnes tuendas esse atque  
conservandas.

Plurimis idcirco, Socii Fratresque,  
posthabitibus Rixarum caufis, majora  
nobis

nobis aggredienda sunt, sodalitio nostro digniora proferenda. Quid autem iterum edam nostrarum præconia Rerum, quas virtus privata statuit, utilitas publica confirmavit, et sacratæ sanctio legis stabilivit? Si pro more potius, quam pro meritis multa essent collaudanda, leviter equidem hâccine oratiunculâ talia perstringerem; sed ubi plura nitent, ubi consilii prudentis omnia sunt repleta, maximè reus esse viderer criminis, nisi pleno Ore atque rotundo eloqui conarer. Et quis est qui in conspectu habens salubrem nostræ Reipublicæ Medicæ formam atque *oikonomiaν*,—imperium Uni commissum, paucis administratum, omnibus participatum, non statim magnopere admiratur?—

Præses ex Electis eligendus primus  
 inter pares videtur, auctoritatem præ-  
 fidendi cum Insignibus recti regiminis  
 et gubernationis tenens, ut tam fibi  
 quam cæteris omnibus Collegis in ani-  
 mo se deat, Scientiâ et Prudentiâ Col-  
 legium nostrum firmiter stabiliri: In  
 Comitiis Rogator æquus, Sequester  
 fidus, Arbitr̄ justus, exponit, suadet,  
 admonet: Paucos etiam ex omnibus  
 Electos habet Hortatores, Confilia-  
 rios, Adjutores, ne Animus sollici-  
 tudine vexatus languescat, ne Cura  
 præfidendi affidua tedium adferat, ne  
 Manibus fessis et laxis moderetur Ha-  
 benas: At si Res aliqua gravis vel  
 quiddam periculi instet et minetur,  
 omnes equidem adcurrunt et opitu-  
 lantur; consiliis et viribus, dictis et  
factis

factis maximè agentes ne quid nobis  
 alicundè fiat iniquum, ne Virtuti et  
 Honestati Sodalitii Detrectatores te-  
 merè maledicant, ne Collegium Nof-  
 trum subvertere malevolentia valeat:  
 Et meherculè tam his quam aliis de  
 causis Censores sunt eligendi—paulu-  
 lum enim refert habere supervisum et  
 scrutinium, nisi etiam habeant correc-  
 tionem et gubernationem Agyrtarum  
 et Impostorum, omniumque Medicinæ  
 facultatem non benè exequentium:  
 His atque aliis muneribus funguntur  
 suis, in singulis videlicet medica-  
 minibus Pharmacopolarum scrutandis  
 et corrigendis, et in iis examinandis  
 qui Ordinem Sociorum vel Permisso-  
 rum ambiunt—muneribus equidem in-  
 gratis—sed pro bono publico et Col-

legii utilitate sine irâ, sine odio, sine timore fungendis : Quinetiam fiunt Conservatores Collegii Dignitatis, Omnes contra bonos Mores vel Praxin honestam facientes admonendi, puniendi vel lite persequendi potestatem habentes :—Et itanè vero se res habent in omni Imperio benè constituto ?— Qui etenim ad gubernacula accedunt, quibusque summa rerum permittitur, sic sibi comparatam vendicant Vim sententiæ et consilii adjutricem, virtutis et honoris vindicem.—Et nonne tuum, O ! Britannia ! Imperium siccinè habatum est et moderatum ? Nonne multa jam evolvêre sœcula te tuumque decus summo jure collaudantia ? Infidias doli et seditionis irâ, scelere, et libidine paratas, jamdudum feliciter superasti—

integra

integra et incolumis dum ipsum senescat Tempus in juventute vigeas,  
valeas, polleas—Undique dum decertant Regna pro aris et focis, ne Hostis per vetitum nefas impius et sacrilegus ruat, et, quid sit jucundum, quid honestum, quid sanctum et reverendum, penitus confundat ; tibi libertas inviolata, fides incorrupta, justitia immutabilis, tibi O ! Insularum felicissima ! salvi sunt Penates—cum Lare quisque suo utatur fundo, sub vite et ficu suis fruatur frugibus, nihil timens, nihil invidens, sed in posteros posterorum tradens munera, quæ quisque per innumeros missa tuatur Avos.

Si tali sub formâ talique sub modo  
Respublica nostra Medica omnino  
se

se habuerit, et si Exemplar istud insigne et venerandum Sodalitium nostrum studeat adhuc imitari, de pristinâ famâ quid mirandum, de futuro splendore quid metuendum? Vidimus equidem Linacri benevolentiam et scientiam, Caii doctrinam, Caldwalli beneficentiam, Gulstoni liberalitatem, Harveii acumen, Hamei munificentiam, Glissoni solertiam, Sydenhami *ακριβειαν*, Freindii eruditionem, Meadiique elegantiam—Hos equidem atque alios ingenio, perspicuitate, peritiâ, sedulitate, facundiâ illustriſſimos, planetarum instar suis pervagatis gyris clarissimo lumine micanter, vidimus—plurimos etiam secum quasi satellites, sociali fœdere firmo conjunctos et comitantes ordine

dine lucido et splendenti aspeximus :  
 Nonne autem identidem nobis oriuntur Sydera nova quotannis ? — Nonne te vidimus, Pitcairne sagax ! nomen O ! prægrande olim et futurum, in Orbe tuo fulmine fulgido coruscantem ? Nonne te animo audenti et perspicaci, quod facit assiduo tramite Vulgus iter deferentem, atque ignotas inusitatasque vias benigno numine explorantem ? Nonne te, Cometam, admiramus, Circulum fidereum effugientem, et semitam totam tuam fulgore nitidissimo designantem ? — Te etiam, Austine solers, Orbiculum heu ! brevissimum peragente vidi-  
 mus — sed cursum tuum celeberrimum lux notat perennis, et gloria splendi-  
 diffissima ; — nam dum Medicinæ restabit utilitas,

utilitas, Chemiæ decus, Philosophiæ dignitas, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. O! Utinam! mihi liceat amicitias nostras jam inde ex adolescentulis commemorare! sed vetat hæc publica occasio de privatis familiaritatibus differere, alioquin ex ejus consuetudine Oxonienſi doctâ et benignâ plurimum commodi jaſtarem, cuius, Muſarum Sedibus relictis, omnibus innotuit Fama—alioquin, amicum mihi certum atque ſtabilem in Re multâ et incertâ Londinenſi vellem eſſe ſummâ voce illum agnoscere, gratiasque edicere quarum Memoria nullo niſi extremo cum ſpiritu delenda eſt:

Quis defiderio ſit pudor aut modus

Tam chari capit is? —

Ergo

Ergo Austinum perpetuus Sopor  
 Urget?—cui pudor et Justitiae soror  
 Incorrupta fides, nudaque veritas—  
 Quando ullum invenient parem?  
 Multis ille bonis flebilis occidit,  
 Nulli flebilius, quam mihi!!!

Quid memorem Winteringhami Litteras, quid Plumptrei Studia, qui sua nuperrimè subière Fata!!—ambo equidem circum redimiti Tempora lauro Honoris, olivâ Utilitatis, canitie dignitatis! Quid memorem—sed lugubres efferre cantus definat Oratio—Socios amissos, sublatam ex oculis virtutēm plorare jubent Amor pietaque; sed confodaliū virtutes coram nobis excelfas atque venerandas meminisse juvaret Animus, et suaderet ve-

D                   ritas:—

ritas:—vetat autem consuetudo. At  
 O! Parcarum ! ne nos alteram poscite  
 Victimam repentinam ! Ne iterum  
 Aris fiat frequentissima Mortis Immo-  
 latio ! Falce quanquam mordaci tuâ,  
 O Tempus, prosternas Omnia, Aciem  
 concedas aliquantis per obtundi, et ne  
 acuas in Messem uberiorem ! Quan-  
 quam Omnium versetur Urna, ultima  
 sit vestrum Sors exitura ! Sit, O ! sit  
 vobis lethi tarda Necesitas, nec in  
 cœlum sero redeunti cuiquam corri-  
 piat gradum !

Sospites igitur, O ! Sodales, pre-  
 cor atque obtestor pergit—et vobis  
 Collegii Status totus conservabi-  
 tur, et honor Medicinæ perpetuus  
 florebit—Vestro enim prudenti et  
 fideli

fidi sub regimine omnia et sunt  
eruntque fausta, omnia salva; et vo-  
bis opitulantibus minimè timendum  
est, ne quid Sodalitium nostrum De-  
trimenti capiat; sed arietes suffos-  
fionesque hostium contemnentes, et  
haudquaquam metuentes ne contumax  
firmam proruat Columnam Odium,  
hæ Ædes pondere suo stantes, ponde-  
ribusque libratæ suis viguerunt, vigent,  
et semper vigebunt.

